

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4550

**Auteur(s) :** Robert Avenel, Avranches (chanoine)

**Bénéficiaire(s) :** Poilley, Notre-Dame de Montmorel (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1288, 10 novembre

**Lieu d'émission :** Avranches

**Action juridique :** règlement conflit

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Robert Avenel, chanoine de Lisieux, seigneur des Chéris et des Biards, prononce la sentence sur le litige survenu entre l'abbé et les chanoines de Montmorel, d'une part, et Jean de May, d'autre part, sur une rente annuelle dont ledit Jean devait s'acquitter auxdits chanoines.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Mont-Morel, n° CCXXXI, p. 226-227.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris magister Robertus Avenel, canonicus Lexoviensis et dominus de Byardis et de Eschariz, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod cum viri religiosi abbas et conventus Beate Marie de Monte Morelli, ex una parte, et Johannes de Mayo, ex altera, litigarent seu etiam placitarent ad invicem super hoc quod dicti religiosi dicebant quod dictus Johannes eisdem tenebatur solvere proportionem unius quarterii avene annui redditus ad mensuram de duxe, quod quarterium avene ipsi religiosi dicebant se habere, seu possidere quondam ex donatione bone memorie domine Aeline, domine pro parte de Hulmo in parrochia de Polle, situm illud quarterium in dicta parrochia super sex petias terre videlicet super pratium de Lonc Aune, super les Corceres ante leprosariam de Polle, super petiam aliam que vocatur le Gressun et super tres alias petias terre que vocatur le Metious sitas ex utraque parte chemini quod est inter Jugle et molendinum de Polle, quas petias omnes supradictas Galterus Guivilet, defunctus, tenuit quondam de dicta domina supradicta, quod negabat dictus Johannes. Tandem dicte partes de dicta proportione quarterii avene supradicti compromiserunt alte et basse coram vicecomite Abrincensi in dictum et ordinationem meam, factis super hoc licteris sigillo dicti vicecomitis sigillatis. Et ego dictus Robertus cum maxima diligentia per probos ac fidedignos homines, etiam ex utraque parte nominatos et electos et multos alios, inquisita veritate certissime ac cognita, in assissiis domini regis Francie que fuerunt apud Abrincas, anno Domini M° CC° LXXX° octavo, die mercurii ante festum Sancti Martini hyemalis, dictis partibus presentibus, videlicet dicto abbate personaliter et fratre Roberto de Banvilla, procuratore conventus, ex parte una, et dicto Johanne, ex altera, petentibus me pronuntiare dictum et ordinationem meam inter ipsos ac etiam promicentibus ratum et gratum habere quidquid pro dicto meo pronuntialem, ex utraque parte, dictum, sententiam et ordinationem meam dixi et pronuncialem inter partes in dictis assissiis in hunc modum: videlicet quod dictus Johannes tenetur dictis religiosis de proportione dicti quarterii avene annui redditus, secundum quantitatem, valorem et proportionem quam idem

Johannes tenet ac possidet de petiis terre supradictis. Quod omnibus et singulis quorum interest seu interesse potest per presentes licteras sigillo meo proprio sigillatas certifico. Datum et actum anno et die supradictis.